



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXII. De improbitate cuiusdam matris familias in die Dominica metentem
agrum suum apud Caminam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Dux & alij polygama & alii dicunt.

legitimæ vxori superduxerat, publicè abiurauit. Quod videntes alij complures eiusdem enormitatis præsumptores, abiurata & ipsi coniugum pluralitate, vni toro, exemplo Ducis, fidem se seruaturus polliciti sunt.

Ecclesia Caminensis exstructa.

Creuit ergò Ecclesia in loco illo, & confortatata est, ambulans in timore DEI, & Spiritu sancto replebatur, Episcopo & Clericis instantibus & euangelizantibus regnum DEI. Exstructâ quoque illic Basilicâ, & sanctificato altari & sanctuario, collatisque illuc per Ducem prædiis ac dote in sustentationem sacerdotis, pater liberalissimus, sicut omnibus Ecclesiis in terra illa faciebat, libros contulit & indumenta sacerdotalia, calicem quoq; argenteum cum cæteris vtenfilibus, deq; suis sacerdotibus vnum, qui populum instruere posset, eidem præfecit Ecclesia.

De improbitate cuiusdam matrisfamilias in die Dominica metentis agrum suum apud Caminam.

CAPVT XXII.



Vm omnia hæc ritè peracta essent, & non solum de ciuitate, verùm etiam de rure populus ad Ecclesiâ omni die conueniret, & diem Dominicum aliasq; solennitates deuotè obseruarent; vidua quædam in rure non longè à ciuitate Caminensi diues ac nobilis valde, Christiana religione cõtẽprâ, patrios Deos se colere, nullaq; occasione vanitatis nouæ, à parentũ suorum veteri traditione declinare se velle dicebat. Erat autem multam habens familiam, & non paruæ auctoritatis matrona, strenuè regens domum suam, & quod in illa terra magnum videbatur, maritus eius, dum viueret, in vsum satellitij sui, triginta equos cum adscensoribus suis habere consueuerat. Fortitudo enim & potentia nobilium & capitaneorum secundum copiam vel numerum æstimari solet caballorum. Fortis, inquit, & potens

Potentia apud Pomeranos equorum numero æstimabatur.

tense est ac diues ille. tot vel tot potest habere caballos; sicque audito numero caballorum, numerus militum intelligitur. Nullus enim militum, præter vnum caballum, illic habere consuevit. Sunt enim magni & fortes equi terræ illius: & vnusquisque militum sine scutifero militat; manticam per se gestans & clypeum agiliter fatis & strenuè sic militiæ suæ officium exequens. Soli autem Principes vel Capitanei, vno tantum, vel, si multum est, duobus clientibus contenti sunt.

Factum est ergò in vna Dominica die, tempore messis, populo vndique ad Ecclesiam properante, præfata matrona nec ipsa veniebat, nec suos permittebat, sed magis turbulenta; Ite, inquit, metite mihi agros meos. hoc enim melius est, quam vacare illi nescio cui nouo Dno, quem de terra sua nobis affert ille Otto Babebergensis Episcopus. Quid nobis cum illo? Videtisne quanta bona, & quantas diuitias nobis dedert dii nostri? ipsorumque largitate opibus & gloria, & omnibus rebus abundantes sumus; quare ab eorum cultura discedere non leuis iniuria est. Ite igitur, sicut dixi, ad metendas segetes nostras: & vt minus timeatis, parate mihi vehiculum. Ecce ego vobiscum ipsa in campos messura descendam. Cumque in agrum venisset; quod me, inquit, facere videritis, omnes similiter faciatis: moxque rebrachiatis manicis, succinctaque veste, falcem dextrâ corripuit; stantes verò calamos sinistrâ tenens, secare nisa est. Sed mirum dictu: subito in actu ipso, vt erat inclinis, misera dirigit, & quasi marmoris effigies, nec semetipsam erigere, nec falcem è manu dimittere potuit, nec segetem, sed muta & nihil loquens similis simulacro stabat: tantum intuens intuentes se. Videntes autem famuli, timuerunt valdè, & concurrentes circumstabant eam aspicientes & operientes, si nam melius esset habitura. Rogant etiam vt à temeritate sua resipiscat, dicentes; fortem esse Deum Christianorum. Sed illa nihil respondebat. Iniecit ergò manibus violenter illam trahentes, erigere conati sunt, & falcem segetemque de manibus extorquere, sed minimè potuerunt. Stabat enim quasi moles immobilis terræ affixa: at vbi satis miraculi ac stuporis hoc habitu in felix illa intuentibus ostendat.

Nobilis cuiusdam matrona contumelia in Deum & S. Orationem.

Diem Dominicam à suis obseruari ceperat.

Prima ad opus manū misit.

Diuinitus puniuntur.

derat, ipsique famuli dolore ac tædio affecti iam abire, illaque dimittere vellent. soluta illa, repente corruit, fontemque animam in ignem Tartareum efflauit: quam leuantes in vehiculum: En, inquit, qualem de agro manipulum die Dominico reportamus.

Quod factum vbi, perferente fama, passim vulgatum est; (nam famuli statim ad Ecclesiam currentes, baptismum postulant, stupidi, quæ viderant, referentes) & credentibus quidem fides aucta est ex miraculo; non credentes autem, & si qui adhuc blasphemari remanserant, ad credendum, ex pœna multatæ mulieris, eruditi sunt: Dies autem Dominicus & alia solennitates reuerentius obseruari cœperunt, nos quoque ipsos, & omnem doctrinam nostram, præcipuè autem Episcopum, amplius reueriti sunt.

Profectus ex miraculo.

*De profectioe ipsius cum tremore Julinam,
& quomodo illic vapulauerint.*

C A P V T X X I I I.



Xpletis autem illic fermè quinquaginta diebus, acceptis à Duce legatis & conductoribus, de ipso loco ciuibus, Domizlao videlicet & filio eius, viris honoratis, per lacus ac refusiones marinas Julinam veci sumus nauigio. Est autem ciuitas hæc magna & fortis, hominesque illius loci crudeles erant & barbari. Cum autem propinquassemus ciuitati, conductores nostri hæere, pauere, atque inter se musitare cœperunt; quod intelligens Episcopus: quid est, inquit, quod ad inuicem confertis? At illi; Timemus, inquit, Pater, tibi ac tuis. Populus iste durus semper ac indomitus fuit. Si ergò placet tibi, applicemus, & moram in litore vsque ad crepusculum noctis faciamus, ne fortè, ciuitatem manifestò ingrediendo tumultum populi super nos suscitemus. In singulis autem ciuitatibus Dux palatium habebat & curiam cum ædibus, ad quam si quis confugisset, lex talis erat, vt quolibet hoste persequente, securus ibi

S. Otho Julinam proficiscitur. Trepidant duces.

Immunitas in palatio Ducis.

con-